



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

76. Rvfa famula laboribus suis plus sibi mereri videtur, quàm ex conuentione habet, ideòque si non gratuitò & absq[ue] animo co[m]pensandi eos labores tulerit: & augmentum mercedis aliâ via obtinere ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Confirm. ex Dicastillo D. 10. cit. n. 155. Præceptum Communionis paschalis, quâ talis, vel est graue, vel leue? Si illud; Ergo si impleri potest, grauitè obligat; Sin hoc. Ergo quicumque voluntariè ante pascha semel communicauit, leuiter solùm delinquit, si itidem voluntariè, & absq; vllò impedimento Sac. Communionem tempore paschali omittat, quod est falsum, & contra communem DD.

Ad rationem in contrarium negatur consequentia ob rei disparitatem; nam dilatio prædicta in ipso iure concessa est; non autem anticipatio. Adhæc factâ dilatione ex rationabili causâ, non potest amplius satisfieri præcepto Communionis paschalis: at verò potest satisfieri post præuentionem, nempe si impedimentum, quod certò futurum putabatur, præter opinionem cesset, & optima se occasio ad satisfaciendum paschali Communioni offerat, vti posuimus in nostro casu.

LXXVI. *Rufa famula ita ab initio conuenit cum hero suo, vt præter victum elapso anno decem sibi floreni darentur. Post autem videtur sibi duris suis laboribus maximè opifitij, quod herus suus exercet, multò plus meruisse, certa interim, se aliâ viâ id acquirere non posse, quàm per occultam compensationem. Queritur. Vtrum Rufa occultam hanc compensationem facere possit?*

Videtur non posse. Tum quia iustum ipsi stipen.

stipendium est constitutum, ex communi scilicet usu & consuetudine eiusmodi personis constitui solitum. Tum quia herus nunquam consensit in stipendium maius, idèdque, ipso invito, clam aliquid in compensationem accipitur. Tum quia ancilla gratuitâ voluntate exhibuit maius obsequium, nõ coactè: absq; animo occultè compensationem faciendi.

Resp. 1. Rufam non posse quidquam eripere Domino, si vel stipendium accepit iustum, hoc est, quod siue lege, siue consuetudine eiusmodi personis in tali ministerio concedi solet: vel gratuitò & absque animo compensandi durius obsequium exhibuit. Ita communis. Ratio prioris est, quia ultra iustum nihil debetur: posterioris, quia obsequio proprio donatio libera efficitur. Atque alterutrum horum plerumque de famulis, ancillis, operarijs, atque officialibus præsumendum, nec facilè ipsis à Confessario credendum, cùm isti homines semper ferè conquerantur, stipendium minus iustò sibi concedi, cùm tamen iustum detur, aut ipsi in hoc ultro non rogati consentiant. Resp. 2. Si Rufa alijs in rebus, quàm ab initio fuerat conuentum, fuerit occupata, debetur eidem augmentũ mercedis iudicio prudentis æstimandum. Ita Palao *tr. 32. D. 1. pun. 6. §. 3. n. 9.* Nauarrum & Menochium secutus. Ratio est, quia illud obsequium est pretio æstimabile, ad

le, ad quod illa ex vi promissæ mercedis non adstringitur; vnde etiam Pædagogi certâ mercede conducti ad filios instruendos, in scholam ducendos &c. si alijs ministerijs occupantur, maius stipendium merentur. Respon. 3. Rufam non posse quidquam clam surripere, si debitam mercedem amicabili petitione, aut iudicis interpellatione absque sui graui iactura obtinere possit: secus, si moraliter hâc ratione obtinere nequeat. Ita ex communi Less. l. 2. de just. c. 12. n. 57. & 58. Ratio primæ partis est, quia nemini concessum est, officium iudicis vsurpare, nec jus sibi in propria causa dicere propter varia mala, quæ inde sequerentur. Ratio 2. partis est, quia in hoc casu occulta debiti compensatio est proprii juris defensio, & iniuriæ famulæ factæ propulsatio est reputanda.

Ad 1. & 3. in contrarium patet ex dictis. Ad 2. dicimus cum Vasq. 1. 2. D. 223. c. 2. n. 20. factis esse, vt herus debeat augmentum stipendij, quod applicauerit Rufam ad maiores labores in sui vtilitatem ferendos; vnde rationabiliter inuitus esse non potest, si mercedem debitam clam surripiat, aliâ viâ non acquirendam.

LXXVII. Rigobertus Confessarius frequenter imponit pœnitentias perpetuas, vt v. g. pœnitens diebus singulis vitæ suæ oret 3 aut 5. Pater & Ave. Queritur. Vtrum pœnitens hanc acceptare, vel acceptam exequi teneatur? Vi.